



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam Ioannis prædicantis. Ode Tricolos Tetrastrophos XLIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam Ioannis prædicantis.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS XLIII.

VOCEM, salutis quam fore nuntiam
Dixere priscis temporibus pi
Vates, Iarden obstupenti
Flumine percipit vsque primus:

Quando efficacis fulminibus soni
Commotus omnis contremuit locus,
Quacunque distinguunt iacentes
Æquora Gilghediusq; terras.

Hanc & colonus gentibus impiis
Vicina iungens prædia, combibit
Non aure surda, hanc ipsa Iuda
Posteritas, Solymumq; ciues.

Deducta celo tempora gratia,
Mistas & altis pollicitis minas,
Mirantur omnes, ac loquentis
Vultum habitumq; hominis seuerum.

Namque is fidelis credita munera
Legatus, alti & consilium Dei
Dum præco complet, nec potenteis
Suspicit aut metuit tyrannos:

Ostendit unam & perpetuam sibi
Curam, docendo sistere deuios
Ad limen angustum salutis,
Atque ducem cecinisse certum.

Oblata non huic gloria commonet,
Non durus ensis propositum graue;
Id quippe monstrabat seuera
Frontis honosq; habitusq; vitæ.

LVCIS DIV CORVSCATIO.

*Certa reducendis animis pereuntibus atque
Clara via est, morum cum probitate fides.*



SALVTIS NVNTIO GRAVISS. P.

In